



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Confirmatio Papae Martini omnium bonorum Monasterij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

niantur. Nos igitur volumus & auctoritate vniuersalis Ecclesie de cernimus quod tenori constitutionis huiusmodi in iudicio & extra vbicunque exhibitus fuerit, vel ostensus in omnibus stari debeat & fides adhiberi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei & vniuersalis Ecclesie se nouerit incursum. Datum *Basilee* Calen. Augusti anno a natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.

*Johannes Freudenberger.*

Confirmatio Papæ *Martini* omnium bonorum  
Monasterij.

**M**ARTINVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conuentui monasterij beate *Mariæ* in *Vndensdorff*, p. Præpositum solitigubernari ordinis sancti *Augustini Frisingen*, Dioc. salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est & honestum tam vigor & quietis quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras & monasterium vestrum beate *Mariæ* prædictum in quo diuino estis mancipati obsequio cum omnibus bonis quæ in presentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci sub beati *Petri* protectione suscipimus atque nostra omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris *Romanis* Pontificibus siue per privilegia, siue per alias indulgentias vobis & monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactio-num à Regibus & Principibus & aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & eidem monasterio vestro indultas siue eas iuste & pacifice possidetis nobis & per nos eidem monasterio vestro concessas auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio cõmunimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre susceptionis, confirmationis & communicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum, eius se nouerit incursum. Datum *Rome* apud sanctos Apostolos XIII. Calen. Maij. Pontificatus nostri anno octauo.

Conseruatorium auctoritate *Basilien.* Concilij concessum Mo-  
nasterijs in *Scheyrn, Fürstenueld, Münster, Vndensdorff,*  
*Geysenfeld & Ang. &c.*

**S**ACROSANCTA generalis synodus *Basilien.* in spiritu sancto legitime congregata vniuersalem Ecclesiam representans, dilectis Ecclesie filiis Abbati Monasterij beate *Mariæ* virginis alijs *Scotorum Wienn, Patauien.* Dioc. Præposito *Salzburgen.* ac Decano *Augusten.* salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Ad compescendos conatus nepharios peruersorum, qui personas & loca Ecclesiastica super bonis & iuribus suis offendere & multipliciter perturbare molestis non verentur tanto magis per nos decet oportuno remedio providere quanto per amplius turbationes huiusmodi & molestie in diuine maiestatis offensam, nec non Ecclesie libertatis redundare dispendium dinoscuntur.

Dudum